

tationis habere potest. Nam demonstrauius supra, ^{a)} ignorare plane ius naturae hunc acquirendi modum, ideoque per se intelligitur, nullum ius posse bonae fidei possessori, secundum sanae rationis dictamina, esse, ad vindicandum sibi id, quod fructuum nomine penes ipsum est. Accedit praeterea summum illud naturae praeceptum, quod prohibet, quemquam ex re aliena inuito domino & cum damno ipsius fieri locupletiores. Quae quidem regula, si quid video, non infringitur per alteram, quae negat, iniuriam facere alteri, qui iure suo utitur, quamuis hanc obiiciat Cel. FRICKIUS. ^{b)} Nam de eo quaeritur, an iure hoc faciat bonae fidei possessor, quod denegat domino rei restitutionem eius, quod ex fructuum huiusce rei consumptione ad ipsum peruenit, idque ipsum per regulam priorem negatur, quippe quae non sinit, ut lucrum capiat ex re aliena, inuito domino. Acquisiuisse bonae fidei possessorem fructus, quos consumpsit, iure suo, dari potest, quamuis non de iure naturae, tamen ex institutis Romanorum. Sed de eo quaeritur, an secundum iuris naturae praecepta fieri possit, ut irreuocabiliter eos acquirat, eosque lucretur. Quid? quod, aut fallor, aut ex illa philosophandi ratione, qua Cl. FRICKIUS usus est, conficitur, nec restitui fructus exstantes debere a bonae fidei possessore. Nam & hos iure suo acquisiuit, ideoque eos retinendo, iniuriam fecisse nemini putandus erit. De qua tamen re ipse vir doctissimus aliter sentit.

^{a)} egimus hoc in cap. I.

^{b)} in cit. dissert. §. 6. pag. 17.